

EPISTULA LEONINA

CCV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCIV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINTAM (205) !

ARGUMENTA

UMBRAE SOMNIUM HOMO.....	03
EPISTULA IOHANNIS DEMMING CHRONOGRAPHI INGENIOSI.....	04-05
MYTHI GRAECORUM: De Bellerophonte.....	06-11
FABELLA GRIMMIANA: De Doctore Omniscio (<i>Doktor Allwissend</i>).....	12-14
NARRATIUNCULAE etc. (<i>Thoma, Lausbubengeschichten, VII</i>).....	15-22
HORAE STELLARES etc. (<i>Zweig, Sternstunden der Menschheit, IV</i>).....	23-29

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc Tibi offero Epistulam Leoninam ducentesimam quintam (205). Epistulis Leoninis proximis praeteritis persaepe rettuli de Gretariorum Prasinorumque ineptiis offuciisque; quae quamvis sint molestissimae, non possunt prorsus praeteriri in commentariis, qui spectant non solum ad res antiquas, sed etiam recentes recentissimasque. At varietate delecteris! Itaque Tibi hac in Epistulâ Leoninâ praebeo fabellas et narratiunculas, quibus legendis animum tuum recreatum et refocillatum iri bene spero. Sive argumenta Tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruire!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Feriâ Sextâ, Festo Omnium Sanctorum

01. m.Nov. a.2019



ΣΚΙΑΣ ΟΝΑΡ ΑΝΘΡΩΠΟΣ

UMBRAE SOMNIUM HOMO

PINDARUS, Carmina Pythia VIII, 95sq.

88 ὁ δὲ καλὸν τι νέον λαχὼν/ ἀβρότατος ἐπι μεγάλας/ 90 ἐξ ἐλπίδος
πέταται/ ὑποπτέροις ἀνορέαις, ἔχων/ κρέσσονα πλούτου μέριμναν. ἐν δ'
ὀλίγῳ βροτῶν/ τὸ τερπνὸν αὖξεται: οὕτω δὲ καὶ πίτνει χαμαί,/ ἀποτρόπῳ
γνώμα σεσεισμένον./ 95 ἐπάμεροι: τί δέ τις; τί δ' οὐ τις; σκιᾶς ὄναρ/
ἄνθρωπος. ἀλλ' ὅταν αἶγλα διόσδοτος ἔλθῃ, / λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν
ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰών:/ Αἶγινα φίλα μᾶτερ, ἐλευθέρῳ στόλῳ/ πόλιν
τάνδε κόμιζε Διὶ καὶ κρέοντι σὺν Αἰακῶ/ 100 Πηλεΐ τε κάγαθῶ Τελαμῶνι
σὺν τ' Ἀχιλλεΐ.

Lineamentum: Anima libera formâ âlitis Ba instructa, qualis describitur in Libro mortuorum aegyptio. cfr E. A. Wallis Budge (1857-1937) - The Book of the Dead

EPISTULA IOHANNIS DEMMING

Hannes Demming
Scharnhorststr. 45
48151 Münster

Ioannes Leoni Latino s. d.
s. v. b. e. e. v.

Care Leo Latine,

optime gratarum cenarum Latinarum coque,

magno cum gaudio epistulam Leoninam ducentesimam quartam accepi et curiose perlegi. senex cutis albae assentiar iis omnibus qui monent prophetas falsos esse cavendos. cogitationes meas comprehendi hoc chronogrammate:

PROGENIES TERRESTRIS

NOLI FIDERE

SALVATORIBVS SEV SALVATRICIBVS VT AIVNT

ACVTE TRISTIA HORRIDAQVE RESONANTIBVS

AT TV

CREDE RATIONI

ceterum permittas quaeso, doctor ornatissime, me hodie tibi mittere fabellam sit venia verbo autobiographicam quam oculis mitibus digneris metiri.

de avo hilari et sapienti

agricola viduus alacer cum parvo suo nepote visitavit sanctuarium beatae matris Iesu, bellam aediculam, ubi solebant aegroti implorare opem in multis morbis suis et doloribus. puer stupens lustravit dona argentea atque aurea, pretiosissima, quae grates agens plebes ibidem sanctae collocaverat adiutrici. videns nepotem nunc senex tantopere mirantem cum risu perlevi susurrat: »heus filirole, si modo pio locassent dona omnes, qui non sanati erant, cathedralis hic splenderet iam dudum domus«.

fac ut valeas. saluto te medullitus.

Ioannes histrio barbatus Monasteriensis

Kumpelment uut Mönster

NACHTRAG ZUR BAUERNDEMONSTRATION AM 22. 10. 2019

**AGRICOLAE LABORE ESCAS AC CIBOS
IN CATILLO LANCE SCVTVLA HABEMVS**

Hannes Demming fecit

MYTHI GRAECORUM A GUSTAVO SCHWAB NARRATI A LEONE LATINO IN LATINUM CONVERSI¹



ECCE BELLEROPHON OLYMPUM PETENS

CAP.55, LIBER QUINTUS: DE BELLEROPHONTE²

Sisyphus, filius Aeoli, vir omnium mortalium versutissimus, aedificavit imperioque tenuit Corinthum urbem magnificam in linguâ terrae in altum excurrente inter duo maria duasque terras intersitâ. Īdem vir fraudis variae causâ apud inferos eo poenam dabat, quod manibus pedibusque nixus³ saxum marmoris ponderosum e planitie volvebat ad collem summum. At quandocumque Sisyphus putabat saxum a se tandem esse ad summum collem volutum, onere reverso

¹ cfr EL 178, p.15-22: Quomodo Hercules mortuus sit.


² **Bellérophōn**, -phontis m. (gr. Βελλεροφών) aut **Bellerophóntēs**, -ae m. (gr. Βελλεροφόντης).

³ manibus pedibusque nixus: cfr Johannes Bernhardus Wideburgius, Matheseos biblicae specimen tertium, Jenae 1728, INDEX PRIMUS: Qu(aestio) XV. Mechanica. Cur Jonathan **manibus pedibusque nixus** rupem conscendit?

saxum insidiosum volvebatur deorsum. Itaque iste improbus vir dolorosissimus non poterat, quin saxum iterum iterumque sursum volveret sudore madidus.



Nepos autem Sisyphi fuit Bellerophon, filius Glauci régis Corinthiorum. Idem iuvenis homicidii non intentati causâ cum esset profugus, se convertit Tiryntha in urbem, ubi regebat rex Proetus. Apud eum Bellerophon clementer receptus et a suâ noxâ purgata est. Sed iuvenis quia ab immortalibus corpore formoso virtutibusque exornatus erat, Anteia uxor régis Proeti amore impuro incensa Bellerophontem voluit in tentationem inducere. At idem animo ingenuo praeditus Anteia non oboedivit. Tum amor reginae conversus est in odium; eadem iuvenem mendacio perditura maritum adiens: »Occide« inquit, »Bellerophontem, mi marite, ne ipse occidaris morte infami, nam iste infidus libidinem suam poenalem confessus me voluit seducere ut adulterarem«. His verbis auditis rex caeco furore affectus est. Cum autem iuvenem probum valdê dilexisset, ipse statim illum occidere reformidavit. Attamen in animo habuit illum pessum dare.



Itaque Proetus Bellerophontem innocentem misit ad Iobatam¹ regem Lyciae socerum suum iuvenique dedit tabellam complicatam, quam Lyciam cum advenisset, rēgi offerret tamquam litteras commendaticias; at tabellae incisa erant quaedam signa, quibus indicatum est de tabellae oblatore esse supplicium sumendum. Bellerophon autem eo iit sine ullâ suspicione, sed dei omnia providentes eum in tutelam receperunt. Iuvenis per mare in Asiam cum iter fecisset, Lyciam assecutus regem Iobatam adiit. Qui princeps clemens et hospitalis advenam ingenuum more vetusto recepit neque quaerens, quis esset neque, unde venisset. Eius forma digna eiusque mores nobiles satis fuerunt, ut rēgi persuaderetur se non recepisse hominem vulgarem. Itaque iuvenem omni honore affecit, eius causâ omnem diem fecit festum, deis ab uno mâne ad alterum tauros immolavit.

Novem iam dies sic transacti erant, et decimâ aurorâ exoriente Iobates ex hospite suo quaesivit, unde venisset et quibus finibus. Tum Bellerophon ei dixit se venisse a Proeto eius socero Iobataeque tabellam obtulit, ut esset sibi testimonio. Signis homicidalibus cognitis rex intimo ex animo territus est; nam iuvenem ingenuum valdê diligere coeperat. Non quidem credidit generum suum sine ullâ

¹ *Ióbatēs*, -ae m. (gr. Ἰοβάτης) sive *Ióbatús*, -ī m. . (gr. Ἰόβατος).

causâ gravi hunc iuvenem miserrimum capitis damnavisse; itaque credidit eundem scelus commisisse morte dignum. Tamen noluit tam crudelis esse, ut sine morâ occîderet eum, qui tam diu hospes suus



fuerat bonis moribus insignis. Itaque cogitavit Bellerophonti mandare pugnas faciendas, quibus is necessario periret. Primo iuvenem iussit ferire monstrum Chimaerae, quae ex divinâ, haud humanâ progenie exorta Lyciam vastabat. Typhon enim taeterrimus illam genuerat cum Echidnâ serpente ingenti. Anteriore autem in parte Chimaera erat leo, posteriore draco, mediâ in parte erat capra; eadem e faucibus eiectabat ignem horribilemque ardorem. Ipsos deos miseruit adolescentis innocentis, cum viderent quantum îdem subiret periculum. Qui Bellerophonti iter ad monstrum facienti miserunt Pegasus equum aligerum immortalem, qui a Neptuno genitus erat cum Medusâ. At quo modo is equus iuvenem potuit adiuvere? Îdem enim equus divinus numquam tulerat equitem mortalem. Itaque Pegasus neque capi poterat neque cicurari. Iuvenis autem, cum laboribus frustra exanclatis fatigatus esset, ad fontem Pirenen, ubi equum invenerat, obdormiverat. Tum eidem somnianti apparuit Minerva tutatrix; quae ante eum stans habenas bullis aureis ornatas manu tenens: »Quid« inquit »dormis, Aeolides? En accipe hoc instrumentum quo equos domabis; Neptuno immola taurum formosum et utere habenis«. Sic heroem allocuta aegide obscurâ quassatâ Minerva evasit. Bellerophon autem

experrectus prosiluit habenas manu comprehendens. O quam mirum – habenas, quas somnianti comprehendere sibi visus erat, eas vigilans reverâ manu tenuit. Bellerophon nunc Polyidum vatem adiit eique narravit de somnio deque miraculo, quod in eodem factum erat. Vates iuveni suavit, ut deae optatum sine morâ expleret et Neptuno taurum immolaret et Minervae deae tutatrici aram exstrueret. His omnibus factis Bellerophon sine ullo labore cepit domuitque equum aligerum, habenas ei imposuit aureas, aeneis armis indutus equum ascendit. Nunc ex aëre raptim devectus Chimaeram occidit sagittis suis.

Deinde Iobates iuvenem misit contra Solymos pugnaturum, gentem pugnacem, quae incolebat regionem prope limites Lyciae sitam. Eâdem gente contra opinionem feliciter devictâ Bellerophon a rège emissus est ad Amazonas impugnandas viris fortitudine haud impares. Hôc quoque bello gesto iuvenis revertit inviolatus et victoriosus. Nunc rex, ut tandem optato generi sui expleret, Bellerophonti redeunti insidias collocare iussit viros terrae lyciae fortissimos a se electos. At nemo eorum vivus revertit, nam Bellerophon istos, qui se a tergo oppresserant, ad unum omnes perdidit. Nunc autem rex cognovit virum in suâ domo pernoctantem non esse sceleratum, sed deis dilectissimum. Pro eo, ut iuvenem persequeretur, Bellerophontem in regno suo retinens cum eodem potestatem regiam communicavit; eidem Philonoen filiam suam florentissimam dedit in matrimonium ducendam. Lycii autem eidem viro reliquerunt agros pulcherrimos et plantationes colendas. Uxor Bellerophonti peperit tres liberos, duos filios unamque filiam.



At nunc felicitas Bellerophontis finita est. Isander enim, eius filius maximus natus, etiam adolevit in heroem ingentem, sed cecidit in proelio contra Solymos gerendo. Eius filia Laodamîa, cum Iovi peperisset heroem Sarpedonem, mortua est sagitta Dianae perfossa. Nullus filius Bellerophontis aetatem gloriosam assecutus est nisi Hippolochus filius minor; îdem in bello Troianorum Glaucum filium suum animo heroico praeditum, quem comitatus est Sarpedon consobrinus, unâ cum agmine Lyciorum magnifico misit Troianos adiuturum.

Ipse autem Bellerophon possessione aligeri equi immortalis superbus factus eidem animali insidens ad Olympum montem divinum volare voluit et, quamquam erat mortalis, ipsum se inferre immortalibus congregatis. At Pegasus equus divinus huic incepto audaci ipse resistens in aëre exsultans equitem terrestrem in terram deiecit. Recreatus quidem est Bellerophon deiectus, sed inde eum caelestibus invisum coram hominibus pudebat solum circumerrantem, mortales evitantem, ingloriâ aetate aegerrimâ tabescentem.

MYTHUM BELLEROPHONTIS

NARRAVIT

GUSTAVUS SCHWAB,

LATINE REDDIDIT

LEO LATINUS.


FABELLA GRIMMIANA

98. DE DOCTORE OMNISCIO



Aliquando fuit agricola pauper nomine *Cancri*, qui duobus bobus currui adiunctis vehem lignorum transportavit in urbem ibique ligna vendidit pretio duorum thalerorum. Cum agricolam acciperet pecuniam, modo doctor sedebat ad mensam; tum agricola vidit doctorem bellulê epulantem sorbillantemque, quo animo refocillato ipse cupivit fieri doctor, ut sibi liceret comedere cibos tam delicatos. Itaque paulisper stans remansit et denique quaesivit, num ipse quoque fieri posset doctor. Tum doctor »Certê« inquit »doctor fieri poteris. Hoc mox fieri poterit.« Deinde agricola interrogavit: »Quid mihi faciendumst?«. »Primo tibi eme librum abecedarium, talem, cuius parti anteriori inest gallus gallinaceus; secundo vende currum bovesque tuos et pecuniâ acceptâ eme vestimenta et quae alia spectant ad rem doctoralem; tertio cura, ut titulus pingatur verbis quae sunt: »Ego Sum Doctor Omniscius« et ut îdem clavîs muro affigatur supra ianua tuam domesticam.« His auditis agricola omnia fecit quae facere iussus erat. Cum autem aliquamdiu paululum fecisset artem doctoralem, sed nondum multum, magno cuidam domino diviti

pecunia est ablata. Tum eidem viro narratum est de Doctore Omniscio, qui in quodam vico habitaret et necessario sciret, quonam pecunia ablata esset. Itaque dominus dives equos iussit curri adiungere, in vicum evectus ex agricolâ quaesivit, num esset Doctor Omniscius? »verum, se esse hunc doctorem.« »Ergo se rogare, ut Doctor secum abiret et faceret, ut pecuniam ablatam reciperet.« »O certê se hoc facturum esse, sed necessarium esse, ut secum abiret Greta uxor sua.« Dominus assensus est ambosque rogavit, ut secum curru insiderent, et tres unâ profecti sunt.



Cum venirent ad aulam nobilem, mensa erat cibus obiecta, agricola est rogatus, ut unâ cum domino comederet. Tum îdem: »Comedam« inquit »sed Greta, uxor mea, etiam comedet« et consedit unâ cum eâ post mensam. Cum autem primus minister cauponarius patinam attulisset ciborum pulchrorum plenam, agricola uxoris latus fodicans dixit: »Greta, hic fuit primus,« sentiens illum ministrum fuisse primum dapiferum. At minister sensit agricolam dicere voluisse: »Iste est primus fur,« et quia reverâ iste minister fuit primus fur, territus foris dixit sodali suo: »Iste Doctor omnia scit, in periculo sumus: iste dixit me esse primum.« Alter minister noluit introire, sed debuit. Îdem cum nunc patinam afferens intraret, agricola uxoris latus fodicans:

»Greta«, inquit, »hic est alter.« Alter quoque minister territus foras exiit quam celerrimê. De tertio haud melius factum est, nam agricola denuo dixit: »Greta, hic est tertius.« Quarto autem ministro mandatum erat, ut inferret patinam obtectam, et dominus Doctoris dixit, ut artem suam demonstrans divinaret, quidnam patinae impositum esset; eidem autem infuerunt cancri. Tum patinâ aspectâ agricola nesciens quid faceret dixit: »Eheu me miserum *Cancrum!*« Hôc verbo audito dominus evocavit: »En illum scire, quid insit, certê nunc etiam scit, quis habeat pecuniam.«

Minister autem vehementer territus Doctori annictans rogavit, ut paululum e conclavi eveniret. Cum agricola evenisset, eidem omnes quattuor ministri confessi sunt se furatos esse pecuniam; se eandem libenter edituros esse eidemque magnam summam additiciam, nisi Doctor se proderet, nam alioquin periculum esse, ne laqueo suspenderentur. Itaque agricolam duxerunt ad latebras, quibus inerat pecunia. Doctor autem hac re contentus intro rediit, ad mensam consedit et: »O Domine, nunc in libro meo quaeram, ubi sit pecunia.« Sed minister quintus fornacem irrepsit et voluit audire, num Doctor sciret plura. Is autem librum abecedarium apertum huc illuc pervolvens quaesivit gallum gallinaceum. Quia eum non statim invênit: »Tu« inquit, »quia ines, oportet evenias.« Tum minister ille in fornace latens quia putavit se ipsum esse a Doctore appellatum, terrore correptus esiluit et clamavit: »Iste vir scit omnia.« Nunc Doctor Omnicscius domino monstravit, ubi esset pecunia, sed non dixit, quis eandem furatus esset; pecuniâ ab utroque latere acceptâ in magnam claritudinem pervênit.

* *
*

**FABELLAM DOCTORIS OMNISCII
GRIMMIANAM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI *(Lausbubengeschichten)*

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS SEPTIMA: DE PERIURIO (*Der Meineid*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; PARS VI: Nuptiae 173,12-20.

**LUDWIG THOMA****(1867-1921)**

ca a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilemianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



Narratiunculae pueri male môrati

Iuvenis quae expertus sim

PARS SEPTIMA (VII)

DE PERIURIO (*Der Meineid*)

Henricus Varneriorum¹ dixit mammam suam sibi interdixisse, ne ego secum haberem consuetudinem, quia essem moribus perquam incultis et quia sic quoque mox e scholâ fugarer. Tum ego dixi Henrico Varneriorum me non flocci facere mammam eius meque laetari, quod îdem non iam mihi visitandus esset, quia eius conclave vehementer puteret. Tum ille dixit me esse hominem pervulgarem, ego autem illum bellulê alapatus² tam fortiter proieci ad fornacis tegimen, ut decideret.

Itaque dens quidam eius est fractus et bracis eius vellutinis³ supra genu inerat foramen magnum.

Post meridiem pedellus vênit in classem nostram et nuntiavit mihi subeundum esse ad Dominum Rectorem.

¹ **Henricus Varneriôrum** orig. *Werners Heinrich*.

² **illum bellulê alapâtus** orig. *ich gab ihm eine feste auf die Backe*.

³ **brâcae +vellütinae** (pl.) *Samthose*.

Exii et ad ianuam vultum contorsi, ut omnes riderent. Nemo autem mihi prodiderat, quia iam sciverunt me proditores ulcisci. Henricus Varneriorum non vidit me vultum contorsisse, quia propter dentis defectum domi remanserat.

Alioquin iste certo me prodidisset.

Statim mihi intrandum fuit grapheum directoris, qui oculis suis viridibus acerrimê me aspexit.

Īdem: »En iterum« inquit »te video, puer, qui male educatus es; numquamne nos liberabis a praesentiâ tuâ?«

Cogitavi autem futurum fuisse, ut valdê laetarer, nisi istum iam viderem taeterrimum, sed ab isto ipso me esse advocatum.

Deinde director: »Quodnam« inquit »officium umquam vis gerere, tu animal brutissimum? Putasne te umquam studia humaniora absolvere posse?«

Dixi me quidem hoc credere. At tum ille me invectus tantâ voce clamavit, ut pedellus foris hoc audiret omnibusque narraret. Director autem dixit me esse naturâ sceleratâ meque esse furciferum catilinarium et si quod umquam officium gererem, nullum nisi banausi¹ vulgaris; antiquis iam temporibus omnes homines perditos vitam incohavisse more meo.

Postea director: »Dominus Varnerius« inquit »qui est consiliarius ministerialis², fuit apud me mihique rettulit, quo statu miserabili esset filius suus« et deinde me punivit poenâ rectoratûs, id est sex horis in

¹ +banausus, -i m. cfr Mittellateinisches Wörterbuch, <http://woerterbuchnetz.de/MLW/?sigle=MLW&mode=Gliederung&hitlist=&patternlist=&lemid=NB00291>: „*banausus, -a, -um. (βάνανυσος)1 adi.: ad artes illiberales vel opifices pertinens, sordidus — zum niederen Handwerk(erstand) gehörig, schmutzig: a latius: Albert. M. pol. 1,8c p. 66a,40 -arum [banausarum] (p. 1258b,26 βαναύσων) artium. 4,3c p. 336a,5 multitudo, ... quae vocatur -a [banausa]. 7,7a p. 676b,24 -am [banausam] vitam, id est mercenariorum de vilibus mercibus. 8,1g p. 758a,40 -a [banausa] opera sunt, quaecumque corpora hominum et mentes faciunt illiberalia et inepta ad opera virtutis eqs. ibid. al. b strictius de opere coquinario: Albert. M. pol. 1,8c p. 66b,3 -a [banausa] ars dicitur coquinaria, in qua multi multa lucrantur. 2 subst. masc.:a opifex artes illiberales vel sordidas exercens — Handwerker, der niedere oder schmutzige Arbeiten verrichtet: α latius: Albert. M. pol. 3,3a p. 225a,40 dictum est, quod -i [banausi] sint mercennarii ... servientes in operibus servilibus ..., sicut sunt coqui ... et purgatores cloacarum. 3,3c p. 227a,24 'ditantur enim multi artificum', inter quos etiam ditantur -i [banausi]. ibid. al. β strictius de coquis: Albert. M. pol. 1,9k p. 81a,32 -us [banausus] ..., id est coquus, artifex (3,2g p. 221a,25). v. et l. 59. »

² cōnsiliārius ministeriālis orig. Ministerialrat.

carcere degendis propter feritatem atrocem. Mater autem mea a consiliario ministeriali accepit rationem nummariam, ut duodeviginti marcas solveret pro bracis afflictis.

Quae vehementer flevit, non propter pecuniam amissam, quamquam vix habuit pecuniae, sed quia ego iterum iterumque aliquid mali agerem. Stomachatus sum terribiliter, quod mater mea tantâ aegritudine commovebatur, et cogitavi efficere, ne Henricus Varneriorum bene se haberet.

Bracae discissae nobis non sunt traditae a domino ministeriali, quamquam îdem postulavit novas.

Die Dominicâ proximâ futurâ post missam in rectoratu inclusus sum. Istud mihi fuit perincommodum.

In hōc conclavi fuerunt duo filii domini rectoris. Uni fuerunt textûs in sermonem graecum convertendi; itaque in eius mensâ positi erant permulti libri crassi, qui ei erant pervolvendi ad vocabula invenienda. Quandocumque pater eius intraverat, celeriter librum aliquem pervolvebat caputque suum sursum deorsumque dirigebat.

Tum rector: »Mi fili« inquit »quid quaeris?« Eius filius non statim respondit, quia ore tenebat frustum panis. Sed frusto degluttito îdem dixit se quaerere verbum graecum, quod invenire non posset. At hoc non fuit verum; nam filius rectoris non verbum quaesiverat, nam semper panem comederat e perâ sumptum. Quod perbene videram.

Tamen rector eum laudans dixit deos sudorem praeposuisse virtuti, aut aliquid simile.

Deinde rector iit ad alterum filium, qui ad iugum pictorium stans pingebat. Pictura paene iam erat perfecta. Puer pinxerat plagam et lacum, cui inerant multae naves. Uxor quoque rectoris intravit picturamque aspectavit, et rector fuit animo hilarissimo. Qui dixit hanc picturam expositum iri in sollemnitate finali omnesque visitatores visuros esse in scholâ nostrâ coli artes pulchras.

Deinde abierunt necnon duo filii abierunt, quia tempus fuit prandendi. At ego debui solus remanere neque ullum accepi cibum. Equidem hoc

non flocci feci, quia farcimen salarium¹ mecum attuleram, et cogitavi futurum fuisse, ut macri illi rectoris filii laetarentur, si tantum cibi acciperent.

Filius maior natu picturam suam fenestrae apposuit in conclavi propinquo sitae. Hoc accuratê vidi. Exspectavi, dum omnes foris essent, et deinde perrexi legere fabulam *de lupo Apassionum nigro*² scriptam, quam clam mecum attuleram.

Horâ quartâ a pedello emissus sum. Qui: »Heus tu« inquit »hodie carceri infuisti sat diu«. Ego quidem dixi: »Hoc pertuli levissimê«. Sed reverâ mihi ista inclusio fuerat molestiae sat magnae, quia fuerat perquam iniucunda. At die Lunae post meridiem rector, cum in classem veniret, capite fuit ruberrimo.

Īdem vir statim postquam ingressus est clamavit: »Ubi est Thoma?« Surrexi. Deinde incohavit calamitas mea. Ille dixit me commisisse scelus, quod in annalibus scholae esset inauditum, facinus Herostratêum, quod proximê post incendium templi Dianae locum tenêre secundum. Necnon me condicionem nullâ re aliquatenus meliorem posse reddere nisi confessione paenitentiali.

Rector haec dicens ôs suum raptim tam latum aperuit, ut apparerent eius dentes taeterrimi, terribiliter sputaret, oculi currerent³.

Ego dixi: »Nihil scio; vae mihi! Nil mali feci!«.

Deinde rector me dixit esse tam ignomiosê mendacem, ut mihi contraherem iram caeli. At ego dicebam: »Omnino nihil scio.« Tum ille ex omnibus classis nostrae discipulis quaesivit, num testari scirent facinus meum, at nemo aliquid scivit de eâ re.

Postea rector de hac re certiolem fecit nostrum professorem. Bene mâne visum est in conclavi iuxta rectoratum vitrum fenestrae lapide

¹ **farcĭmen salārium** orig. *eine Salami*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Salami>: „...Wortherkunft. Die Bezeichnung stammt vom italienischen *salame* für *Salzwurst* bzw. *Salzfleisch* bzw. lateinischen *salare*. Im Italienischen ist die einzelne Wurst ein „salame“, „salami“ dagegen die Pluralform. In der deutschen Sprache wurde der italienische Plural „Salami“ zur Einzahl; dazu wurde der Plural „Salamis“ gebildet, auch „Salami“ ohne Endung ist gebräuchlich. Das Wort „salumi“ hingegen bezeichnet im Italienischen Wurstwaren....“

² **fābula dē lupō *Apassiōrum nigro scripta** orig. *Geschichte vom schwarzen Apachenwolf*.

³ **oculī currunt**: cfr CASSIOD.Hist.eccl.7,2.

iniecto esse discissum necnon in pavimento iacêre magnum lapidem, quo pictura illa filii rectoris erat perfossa et deiecta.

Professor autem noster horrore quodam perfusus erat et eius barba capillique horrebant. Qui in me invectus rugivit:

»Confitere, infamissime, tune istud facinus commisisti?« Ego respondi me nil scire de istâ re factâ, me iam nimium taedere, quod accusarer scelerum omnium.

Rector autem denuo clamavit: »Vae, vae, vae tibi maledicto! Te si convicero...! Tamen res patefiet sole lucido!«

Deinde rector exiit. Dimidiâ autem horâ post pedellus vênit meque secum duxit ad rectoratum. Ibidem adfuerunt magister noster religionis et rector. Pictura necnon lapis impositi erant sellae. Ante eam stabat mensula. Quae obtecta erat panno nigro; etiam duae candelae ardentibus ibi erant et crucifixus.

Magister religionis manum suam capiti meo imposuit et se gessit satis clementer, quamvis alioquin mihi omnino non faveret. Īdem: »Miselle« inquit »puer occaecate, nunc mihi effunde omnia quae sentis. Confitendo recreabitur animus tuus et conscientia exonerabitur« Rector autem: »Necnon« inquit »condicio tua fiet melior«.

At ego: »Lapidem« inquam »omnino nullum fenestrae inieci«.

Nunc magister religionis vultu fuit indignatissimo. Deinde rectori dixit: »Res nunc statim patefiet. Hac ratione certê patefiet.« Me ad mensam ante candelas adducto horrendâ voce sollemni dixit haec:

»Nunc rem ex te quaeo coram his luminibus ardentibus. In institutione religionis audivisti, quam terribiles essent effectûs periurii. Itaque te interrogo: Lapidemne per fenestram iniecisti? Iniecistine an non?«

Tum ego: »Omnino nullum inieci lapidem«.

»Responde: 'inieci' aut 'non inieci, in nomine omnis rei sacrae!«

Dixi: »Non inieci«.

Tum magister religionis umeris concussis: »Ergo« »tamen non fecit. *Decipimur specie recti*«¹.

Deinde rector me dimisit.

Equidem satis gaudeo, quod mentitus sum neque confessus sum me vespere diei Dominici lapidem fenestrae iniecisse, cum scirem ibidem esse picturam. Nam si confessus essem, condicionem meam nequaquam reddidissem meliorem, sed e scholâ fugatus essem. Rector enim meliorem condicionem promiserat malâ fide. At ego non tam stultus fui, ut ei crederem.

NARRATIUNCULAS

PUERI MALE MÔRATI

SCRIPSIT

LUDWIG THOMA

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

¹ orig. *Der Schein trügt*. cfr HORATIUS, *Ars poetica* 25 Maxima pars uatum, pater et iuuenes patre digni, *decipimur specie recti*. Breuis esse laboro, obscurus fio...cfr SENECA *De beneficiis* IV 34,1: *Fallaces sunt rerum species* et hominum spes fallunt.

STEFAN ZWEIG

Sternstunden der Menschheit.
Zwölf historische Miniaturen. Stockholm 1943.

HORAE
GENERIS HUMANI
STELLARES

Duodecim imagunculae historicae (II)

quas scripsit

Stefanus Zweig

Opus originale editum est a.1943
Holmiâ in urbe Suetorum principali.

In Latinum convertit

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



STEFAN ZWEIG

(1881-1942)

Stefan Zweig

Sternstunden der Menschheit



XX

Fuga in immortalitatem facta (IV)

XX

Quomodo inventus sit Oceanus Pacificus

d. 25.m.Sept. a.1510



Vasco Núñez de Balboa

(1475-1519)

cfr Pars **prima**: EL 146, p.8-14: **Praefatio. Navem instrui.** Pars **secunda**: **Vir cistae inclusus**: EL 163, 9-15. Pars **tertia**: EL 170, 8-14: **Ascensus periculosus.**

Pars quarta

Fuga in immortalitatem facta

Nullus vir fortunatior est quam is, qui mediâ in vitâ, quâ floret ingenio fertilissimo, inveniatur munus vitae suae praestantissimum. *Nonius de Valle Bonâ* scit, quantum in aleam dederit – dubium esse, utrum miserrimè moriturus esset in catafalco¹ an gloriam sibi pariturus esset immortalem. Primo pecuniâ dandâ pacem reconciliandam esse cum rège, facinus suum malum, potestatem usurpatam, a posteriori faciendum esse legitimum atque legalem! Itaque vir heri seditiosus, nunc devotissimè subditus, *Pasamontio*, thesaurario rēgis in Hispaniolâ versanti, non solum partem doni *Comagrei* quintam, quae secundum legem est rēgis proprietas, sed, ut est peritior rerum mundanarum quam *Encisius* iurisprudens ille aridus, pecuniae officialiter missae privatim addit donum largificum thesaurario dandum, quem rogat, ut confirmaret sibi munus capitanei coloniae generalis.

Nulla quidem modo permissum est Pasamontio thesaurario, ut hoc faceret, sed pretio boni auri idem Nonio mittit documentum fiduciarium, reverâ invalidum. Simul autem Nonius de Valle Bonâ, qui studeat contra omnes se protegere, duos suorum fidelissimos in Hispaniam emisit, ut in aulâ regali narrarent, quantum de rège meritis esset necnon eidem nuntium illum magni momenti afferrent, quem e *Cazico* accepisset elicitem. Vasco Nonius de Valle Bonâ iubet nuntiare Hispalensibus se nullâ re egere nisi exercitu mille militum; quo usum se pro Castiliâ plura praestaturum esse quam ullum Hispanum umquam antea. Sese ipsum obligare, ut inveniret novum mare et pareret terram aurosam tandem inventam, quam Columbus frustra promisisset et ipse, id est Nonius de Valle Bonâ, esset expugnaturus.

¹ +**catafalci**um, -ī n. orig. *Schafott*, *Richtblock*. cfr Friedrich Kluge/ Elmar Seebold, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*, 22.ed., Berlin/New York 1989, p.622, s.v. Schafott n.: „(= ein Hinrichtungsmechanismus), *sondersprachl.* Im 16.Jh. entlehnt aus nndl. *schavot* ‚Schaugerüst, Blutgerüst‘, dieses aus mndl. *sc(h)avot* u.ä. (dass.), aus afrz. *chafaud*, *chafaut* (dass.), aus spl. <= spätlateinisch> ***catafalci**um, dieses wohl zu l. *fala* f. ‚hohes Gerüst‘ (s. auch *kata-*). Die Bedeutung ‚Hinrichtungsgerüst‘ demnach in einer Spezifizierung der allgemeinen Bedeutung ‚Gerüst‘. etymologisch verwandt: [*Katafalk*]“.

Nunc autem isti homini perduto, seditioso, desperato omnia videntur conversa esse ad bona. At proxima navis ex Hispaniâ vecta nuntium affert malum. Unus e gerulifigulis, a quibus Nonius seditionem conflans est adiutus, quem illo tempore in Hispaniam miserat, ut in aulâ regiâ infirmaret accusationes Encisii direpti, nuntiat Nonio periculum vitae eius imminere. Baccalaureo¹ enim (qualis dicitur) decepto accusatio cum bene successisset, Nonius, qui potestatem eius rapuerat, condemnatus est, ut damnum resarciret. At nuntium illud, quod spectaret ad situm maris australis propinqui, quo servari potuisset, nondum esse ad aulam allatum; procul dubio proximâ nave futurâ vectum aliquem hominem iudicalem adventurum esse, qui postulet, ut aut Nonius rationem reddat seditionis suae aut in Hispaniam reducatur in catenas coniectus.

Vasco Nonius de Valle Bonâ intellegit se esse perditum. Se iam condemnatum esse, priusquam accepta sint ea, quae iusserat nuntiare de Mari Australi deque Litore Aureo. Scilicet homines nuntio suo usuros esse – cum caput suum decisum devolvatur in harenam – aliquem alium facinus suum, facinus illud, de quo somniet, ad effectum adducturum esse; sibi ipsi nihil iam restare sperandum, quod accepturus sit ex Hispaniâ. Nôtum esse se gubernatorem régis ad mortem egisse, se syndicum² voluntariê e munere officiali expulsisse – oportere, ut sententiam iudicalem ipse dicat propitiam, si custodiâ tantum puniatur et nisi audaciam suam luat in catafalco. Nullam sibi esse spem amicorum potentium, nam se ipsum potestatis prorsus expertem esse, et optimum quod habeat instrumentum persuadendi, id est aurum, adhuc loqui voce submissiore, quam ut eodem assequatur régis indulgentiam. Nullâ re se nunc vindicari posse a poenâ audaciae suae nisi – audaciâ etiam maiore. Si aliud mare novamque illam terram *Ophir* invenerit, antequam personae iudiciales adveniant eorumque servos publicos se comprehensum in vincula iniciant, se vitam suam posse servare. Hîc in fine mundi inhabitabilis se nullo modo fugere posse nisi fugiat in facinus aliquod verê magnificentum, nisi fugiat in immortalitatem.

¹ *baccalaureus*, -ī m. orig. »bachiller«

² *syndicus*, -ī m. orig. *Alcalde*. Cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.II, col.2993, s.v. *syndicus*, i m.: „, (σύνδικος), der Vertreter und Verteidiger der Gerechtsame einer Gemeinde, der Syndikus, rein lat. actor, Gaius dig.3,4,1. §1 u.a. ICT.“

Itaque Nonius de Valle Bonâ decernit, ne exspectet mille viros ab Hispaniâ ad oceanum incognitum expugnandum petitos neve adventum personarum iudicialium. Se malle unâ cum paucis viris ipso haud minus promptis audere facinus ingens! Se malle honestê mori adventuram¹ subeuntem unam ex omnium temporum audacissimis quam manibus vinctis ignominiosê trahi ad catafalcium. Nonius de Valle Bonâ colonos convocat difficultatesque non reticens explicat se transiturum esse angustias terrae et quaerit, quis se sit secuturus. Unius audaciâ audaces fiunt alii. Centum nonaginta milites, omnes ferê viri coloniae ad arma utiles, declarant se esse paratos. Non multum armaturae est comparandum, nam isti homines sic quoque continuo bellum gerunt. Itaque die primo mensis Septembris anno 1513 (sesquimillesimo tertio decimo), ut effugiat aut catafalcium aut carcerem, Nonius de Valle Bonâ, heros furcifer, adventurarius seditiosus, incipit iter facere in immortalitatem.

FUGAM IN IMMORTALITATEM *(Flucht in die Unsterblichkeit)*

SCRIPSIT

STEFAN ZWEIG

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

¹ +adventūra, -ae f. orig. *Abenteuer*; cfr angl. *adventure*; fr. *aventure*; hisp. *aventura*; ital. *avventura*.
cfr +adventūrārius, -ī m. orig. *Abenteurer*.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

ΣΚΙΑΣ ΟΝΑΡ ΑΝΘΡΩΠΙΟΣ



UMBRAE SOMNIUM HOMO

**Feriâ Sextâ, Festo Omnium Sanctorum,
01. m.Nov. a.2019**

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

